



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

Bellelli, Fulgenzio

Monachii [u.a.], 1749

§. III. Prædictorum auctorum judicium æquissimum rectissimumque esse
monstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83723](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83723)

§. III.

*Predictorum Auctorum de sensu Bajanae propositionis XXXVIII
judicium aequissimum rectissimumque esse monstratur.*

S U M M A R I U M.

1. Regula duplex cognoscendi, in quo sensu propositiones damnantur.
2. Monstratio prima ex usurpatione vocabuli *charitas*.
3. Monstratio 2da ex aliis propositionibus Baji.

4. Monstratio 3ta pariter ex aliis propositionibus Baji.
5. Monstratio 4ta ex propositione 60. Baji.
6. Monstratio 5ta ex propositione 61. Baji.

Predictorum Theologorum iudicii aequitas monstratur.

TAm expressis, planisque Auctorum, quos laudavimus, testimoniis, ex quibus manifestissimum est juxta eorum sententiam tricesimum octavum Baji articulum condemnatum fuisse in sensu charitatis justificantis, non video quid Anonymus respondere valeat, nisi singulos deceptos esse, & Bajani systematis supina ignorantia laborasse. Debuerat itaque, si hæc illi opinio insidet, asserere quod nos lectione clarissimorum Theologorum decepti fuimus, id, quod ignorantiae errorisque nostri iustissima foret excusatio: & non debebat literis tradere, adhibitas à nobis interpretationes esse figmenta, subterfugia, dolos, fraudesque Novantium; quod an vere dictum sit, poterit unusquisque dijudicare. Sed nec illud existimandum est tot, ac tam celebres Scriptores fuisse deceptos; cum præter singularem illorum doctrinam, manifestæ quoque rationes suadeant iudicium, quo pronuntiarunt predictam propositionem 38. in sensu charitatis justificantis, sive gratiæ sanctificantis damnatam, æquissimum rectissimumque fuisse.

1. Regula dignoscendi sensum in quo propositiones damnantur.

Suarez tom. 1. de Gratia edit. Mog. pag. 179.

Id ego hoc tertio paragrapho demonstraturus præmitto regulam, qua dignoscendus est sensus intentus ab assertoribus damnatorum articulorum, traditam à Francisco Suarez Prolegomeno 6. de Grat. cap. 2. num. 12. ubi data opera de Censura Pii V., & Gregorii XIII. pertractat. Ait ergo Suarez, sensum ab assertoribus intentum, damnatumque Romanorum Pontificum Constitutionibus esse illum, quem verba præferunt, sive qui ex ipsis verbis, quibus proscripti articuli constant, erui quamfacillime potest. Nam (audias ratiocinantem Suarium) si sensus omnium illarum sententiarum ab assertore intentus non posset ex verbis ipsis à Pontificibus relatis satis colligi, sine Operum ejusdem assertoris integra lectione, & an ecendentium, & consequentium nova collatione, consequen-

ter etiam ipsa Pontificia decisio sine eadem diligentia certo colligi non posset, quia nesciremus quo sensu illas sententias damnaverit: at vero lectio illorum librorum nobis est prohibita, ut ex eodem Brevis, in quo talia scripta damnantur, constet: ergo interclusa est nobis via, & ratio assequendi proprium sensum ab illo assertore intentum, & à Pontificibus damnatum, & sic non possemus ex illa Bulla firmum argumentum contra aliquam opinionem sumere, etiamsi in illis assertionibus, & proprio earum sensu contineri videatur. Consequens est absurdum, & gravitati tanti decreti repugnans. Si autem ex verbis in Bulla relatis sensus alicujus propositionis adhuc videatur ambiguus; regulam aliam suppediat Suarez proximo num. 13. ut scilicet abjiciamus novam, inusitatam, & ab Ecclesia Catholica rejectam doctrinam: & si hoc etiam nos de sensu damnato certiores non reddat, sed duo sensus occurrant, quorum unus (vellem, Suarez ibid. pag. 180. ut hæc Suarii verba attentis auribus ab Anonymo exciperentur) cogeret cum aliis assertionibus in eadem Bulla damnatis, non vero alter; tunc clarum etiam est, propositionem in priori sensu assertam fuisse, ac proinde in eodem damnari. Et hanc conjecturam maxime si sectandam, & præ oculis habendam moneo. Existimo enim tanta consideratione, & æquitate assertiones has ex libris illius doctoris deceptas fuisse, ut si non tantum singula, sed omnes etiam simul spectentur, facile possit intelligi sensus, in quo ab auctore assertæ fuerunt. Præclarum sane monitum, cui si viri Theologi obtemperarent; damnatorum scriptorum opera spernerent atque eliminarent, nullam Apolegeticis eorum libris ad errores obtegendos conscriptis præstarent fidem, Ecclesiasticis definitionibus unanimi consensione, ac debita reverentia subscriberent, nec se mutuis calumniis differis- que proscinderent. Hac itaque regula usus ex ipsis verbis tricesimæ octavæ

Regula alia.

pro-

propositionis, atque ex hujus cum aliis una damnatis collatione, sensum ab auctore intentum dilucide planeque explicabo.

2. Ac principio, si verba quibus propositio 38. compacta est, expendamus; quis ignorat, vocabulum *charitatis* communi, usitatissima planissimaque apud Theologos significatione, degente inter homines Bajo, designasse, ac nostra etiam ætate demonstrare gratiam sanctificantem, ac supernaturale donum Spiritus Sancti in cordibus justorum inhabitantis? Theologorum columnen Sanctus Thomas 2. 2. qu. 23. art. 1. docet, *charitatem esse singularem amicitiam hominis cum Deo, per quam vocamur à Deo in societatem Filii ejus*; ac proximo articulo 2. demonstrat *charitatem esse habitum, quo homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum*, appellatque eo loci *charitatem habitualement formam superadditam potentia naturali*, plura differens de pervulgata illa propositione Magistri lib. 1. sent. dist. 17. *Charitas est Spiritus Sanctus mentem inhabitans*. Atque in hac significatione acceptum fuisse ætate Baji vocabulum *charitatis*, apparet ex ipsa *Explicatione*

Joannis Lensæi edita adversus Bajanos articulos, cap. xi. ubi perstringens propositiones ad charitatem spectantes, *Falsum est, inquit, hominem in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis existentem posse veram habere charitatem. Etsi enim ante suam justificationem insit in penitente amor aliquis justitiæ, eaque dilectio, qua Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem; is tamen amor, qui charitatis naturam assequitur, seu vera illa & sincera charitas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non confisist; semperque illa charitas, quæ legis est plenitudo, quaque Deus ex toto corde, totaque anima diligitur, cum peccatorum est remissione conjuncta*. Apparet ex Petro Cünero, qui in libro adversus Bajum conscripto, ait, *Charitas, quia omnes in ea divinam concipiunt amicitiam, non sustinent communes fidelium nures, quod sine culpæ remissione in aliquo inveniat*: atque in Tractatu de *Charitate* art. 1. *Verissimum est (inquit) quod D. Thomas scriptum reliquit, charitatem esse amicitiam Dei, quæ super eam societatem, & communicationem fundatur, qua Deus nobis pater, & summum bonum est, & nos populus, & filii ipsius, templum Spiritus ejus, & membra Filii sui*. Apparet demum ex ipso Bajo, qui in Bre-

Petrus Cünerus apud le Drou de contrit. pag. 365. & in Tractat. de gravissimis controversiis, pag. 250.

vibus adnotationibus ad *Censuram Parisiensem* hæc scribit: *Scio Scholæ communem esse documentum, charitatem esse habitum omni cupiditate, & omni tentatione fortiolem, cui addi quidpiam possit, sed nihil detrabi, nisi per peccatum mortale in totum pereat, per cuius subitam & insensibilem infusionem formaliter fiat omnium peccatorum remissio, & sine cuius infusione fieri non possit*. Et in publica prælectione, quam habuit Lovanii anno 1570. hortantibus Martino Rythovio Episcopo Iprensi, Francisco Sonnio Silvæducenti, & Cornelio Jansenio Gandaveni; ut à se quamlibet infamiae notam dispelleret, palam & coram omnibus confessus est, se minime distinxisse inter bonam voluntatem, & charitatem, secundum consuetum modum loquendi Scholæ. *Charitas enim à Schola non aliter accipitur, quam quomodo Paulus accipit 1. ad Timoth. 1. Charitas de corde puro, &c. hoc est, de charitate perfecta, quæ est actus, vel habitus, quem operatur Spiritus inhabitans & propitius. Et talis charitas non est in eis, qui nondum habent remissionem peccatorum*. Quare si *charitatis* nomine, spectata communi & obvia significatione, intelligitur apud Theologos Spiritus Sanctus inhabitans, amicitia & societas Dei, atque donum illud præstantissimum, quo reddimur filii Dei, ac templum Spiritus Sancti, & cuius infusione fit peccatorum remissio: si hoc sensu ætate Baji omnes Scholastici usurpabant hoc vocabulum *charitatis*, idque Bajus ipse rotundis verbis fatetur; nonne perspicuum est, *charitatem laudabilem in tricesima octava propositione juxta sensum, quem verba præferunt, esse Spiritum Sanctum inhabitantem, amicitiam & societatem Dei, & donum gratiæ sanctificantis, per quam constituimur Dei filii, membra Christi ac templum Spiritus ejus, & qua fit peccatorum remissio?*

At demus adversario, sensum ab auctore intentum ex verbis, quibus damnatus articulus constat, obscurum adhuc esse & ambiguum, ita, ut debeamus illud juxta monita & regulas Suarii ex aliis Bajanis propositionibus expiscari. Certissimum est, Bajum in ea sententia extitisse, quod homo per quodlibet opus bonum justificetur, ac mereatur vitam æternam. Ait enim propositione 18. *Opera Catechumenorum, ut fidem, & penitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita*: prop. 44. *Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, ut DEI mandatis pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus,*

3. Monstratio secunda ex aliis propositionibus Baj.

depo-

depositum reddere, ab homicidio, à furto à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen àis obtinent incrementa virtutum & coherenter docuit fieri non posse, ut aliquod Dei praeceptum servetur quoad solam substantiam operis, & non habeatur meritum vitae aeternae, adeo, ut nec opus aliquod moraliter bonum fieri queat, quo non promereamur aeternum regnum; rejecitque propterea Bajus propositione 58. celebrem illam doctorum distinctionem, qua tradunt, divinae legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quod valeant operantem perducere ad regnum aeternum, hoc est, ad modum meritorium. Atque hinc factum est, ut cum Bajus ex una parte assereret quolibet bono opere hominem justificari, & promereri regnum aeternum; ex alia autem parte minime negaret reatum peccati tolli per Sacramenta, & per ministerium Sacerdotale, ut inquit propositione 54. & 55. hæc paradoxa deglutire & devorare coactus fuerit, quod vera justificatio persistat sine remissione peccatorum: atque id revera affirmavit propositionibus 31. 32. 33. & 43. Jam vero, si per quodlibet opus bonum homo justificatur, & promeretur vitam aeternam, nec fieri potest aliquod opus bonum quoad substantiam, quod simul ad regnum cælorum non valeat operantem perducere, juxta sensum propositionum 18. 44. & 58. justificatio autem, ut Catholica fides docet, fit per Spiritum inhabitantem, ac meritum vitae aeternae gratiam sanctificantem supponit; legitima & necessaria consecutione deducitur; Bajum ad quodlibet opus bonum necessariam existimasse gratiam habitualement, gratiam sanctificantem, gratiam Spiritus Sancti inhabitantis; seu gratiam & charitatem actualem quidem, sed quæ juxta Bajum & justificet, & conferat meritum vitae aeternae, habeatque proinde dotes illas, quas communi Theologorum sententiâ habet gratia sanctificans, gratia inhærens, gratia inhabitantis Spiritus Sancti.

4. Ex aliis Baji propositionibus idem in-
Monstratio fertur. Propositio enim 16. ad hunc
tertia pariter modum se habet, *Non est vera legis obe-*
ex aliis pro-*dientia, quæ fit sine charitate:* propo-
positionibus
Baji, sitio 35. ita sonat, *Omne quod agit pec-*
cator vel servus peccati, peccatum est;
& propositio 40. est hujusmodi, *In*

omnibus suis actibus peccator servit domi-
nanti cupiditati. Quantum enim atti-
net ad propositionem 16. in ea vocabu-
lum *charitatis* aperte sumitur pro ea
charitate, quæ justificat & sanctificat,
quoniam ex propositione 44. juxta Ba-
jum omnis obedientia legis est *vera ju-*
stitia, & operibus, quibus Dei manda-
tis obtemperant, fideles *justificantur*;
& juxta propositionem 58. nequit ob-
servari praeceptum divinum *quoad operis*
substantiam, quin simul servetur *quoad*
meritum regni aeterni: ideoque in sensu
Baji illa *charitas*, in qua consistit legis
obedientia, est charitas hominem justi-
ficans & rectum faciens, eique confe-
rens meritum aeternae vitae. Quantum
vero attinet ad propositiones 36. & 40.
aperte in his affirmatur, nullum actum
amoris innoxii, nullum opus intrinsecus
bonum, nullum actum, qui non sit cor-
ruptus à vitiosa cupiditate, fieri ab ho-
mine nondum justificato; ideoque cu-
juslibet operis, quod rectum sit quoad
substantiam, & non vitietur à noxia cu-
piditate, unicum juxta Bajum datur prin-
cipium, nempe sanctificans gratia, amor
justificans, & charitas, qua sumus filii
Dei, membra Christi, ac templum Spi-
ritus Sancti. Nec quemlibet movere
debet, quod Bajus in sua *Apologia* fa-
teatur has duas propositiones hæreticas
esse, & queratur sibi per calumniam
illas affingi. Nam primum Apologiâ
istâ Bajus obtinere nequaquam potuit,
ut damnatio præcedentium propositio-
num, unde hæc duæ manifeste derivant,
revocaretur. Deinde in sensu Baji da-
tur justificatio *sine remissione peccato-*
rum, ut dictum est paulo supra; ideo-
que bene hæc duo in sensu ejusdem Baji
consistunt, quod homo semper deser-
viat cupiditati, semperque peccet ante
justificationem, & ante meritum vitae
aeternae, & tamen non semper peccet
ante remissionem peccatorum. Actan-
dem, cujuscunque sint duæ illæ propo-
sitiones, sive Baji, sive alterius auctoris,
sponte ex doctrina ejusdem Baji deri-
vant: semel enim dato, quod non de-
tur aliquod opus bonum quoad substan-
tiam, quod simul non habeat meritum
vitæ aeternae, ut legitur propositione 58.
planissime sequitur, quod ubi non est
gratia sanctificans, sine qua meritum vi-
tæ aeternae nequit haberi, nec etiam re-
periri possit aliquod opus, quod sit bo-
num *quoad substantiam*, & intrinsecus
non sit à dominante cupiditate corruptum.
Quapropter duæ illæ propositiones 35.
& 40. sive Baji sint, sive alterius, eun-
dem pravum sensum præferunt, & ju-
re

vid. Apolog.
Baji tom. 2.
Oper. ejus p.
99. & 101.
Effugium
Baji inutile.

re meritoque iisdem Apostolicis Constitutionibus insertæ fuerunt ac reprobatae.

runt Bajum admisisse solam gratiam sanctificantem, ut constat ex illorum verbis productis paragrapho præcedenti.

Luculentius dignosci potest intentus
 f. Monstratio à Bajo sensus ex propositione 60. Si-
 quaria ex militet & illa distinctio duplicis justitiæ,
 propositio- alterius, quæ fit per Spiritum charitatis
 ne 60. Baji. inhabitantem; alterius, quæ fit ex in-
 spiratione quidem Spiritus Sancti cor ad
 penitentiam excitantis, sed nondum cor
 inhabitantis, & in eo charitatem diffun-
 dentis, quæ divinæ legis justificatio im-
 pleatur, odiosissime, & pertinacissime re-
 jicitur, sive ut Vasquez, Turrianus,
 vide Tur- jicitur, sive ut Vasquez, Turrianus,
 rian. pag. aliique legunt, ut odiosissima & pertina-
 642. cissima rejicitur. Prava & in hoc arti-
 culo enuntiata doctrina non solum ad-
 versatur Tridentinæ Synodo definienti
 sess. 14. cap. 4. aliud esse impulsu
 Spiritus Sancti nondum quidem inhabi-
 tantis, sed tantum moventis, quo pœ-
 nitens excitatus & adjutus viam sibi ad
 justitiam parat, seu ad justificationem
 disponitur; aliud vero ipsam justitiam,
 seu justificationem, quæ per Spiritum
 Sanctum inhabitantem, & in cordibus
 eorum, qui justificantur, diffusam cha-
 ritatem efficitur; verum etiam ostendit
 nullam in sensu Baji dari charitatem,
 nisi sanctificantem, sive Spiritus inhabi-
 tantis. Sublata quippe præcedenti di-
 stinctione, necessum est, ut ubicunque
 est divina inspiratio, ubicunque est ex-
 citatio cordis ad penitentiam, quæ in-
 spiratio & excitatio est à Spiritu Sancto
 movente, & quæ est inchoatio quædam
 & conceptio justitiæ, sit ibidem Spiritus
 charitatis inhabitans, sanctitas & vera
 justitia. Itaque a Bajo distinctione illa
 duplicis justitiæ rejecta, debebat neces-
 saria consecutione actibus singulis, qui-
 bus impius excitatus & adjutus gratia Spi-
 ritus Sancti moventis, aut fidem, aut
 spem, aut timorem, aut imperfectam
 dilectionem exerendo viam sibi parat ad
 justitiam, alligari, & individuo confor-
 tio perfecta charitas, vera justitia, &
 Spiritus Sanctus inhabitans copulari;
 alioqui distinctionem, de qua supra, mi-
 nime rejecisset: ideoque in sensu Baji
 quilibet actus bonus, & ad perfectam
 justitiam disponens, sive sit actus fidei,
 sive actus spei, sive actus timoris, sive
 detestatio peccati, sive dilectio Dei tan-
 quam fontis omnis justitiæ, sive quili-
 bet alius motus liberi arbitrii excitatus
 à Spiritu Sancto movente, erit laudabi-
 lis charitas diffusa per Spiritum San-
 ctum inhabitantem, sanctificans animam,
 & habens meritum vitæ æternæ. At-
 que huic rationi innixi Vasquius, Turria-
 nus, Macedo, Norisius, & alii asserue-
 runt.

R. P. Berti Theol. Tom. IX.

Huc spectat proxima propositio 61. 6.
 Denique & illa distinctio duplici: vivifi-
 cationis, alterius, quæ vivificatur pec-
 cator, dum ei penitentia, & vitæ novæ
 propositum & inchoatio per Dei gratiam
 inspiratur; alterius, quæ vivificatur, qui
 vere justificatur, & palmes vivus in vitæ
 Christo efficitur, commentitia judicatur,
 & scripturis minime congruens. Hujus
 enim propositionis idem, ac præcedentis
 est sensus. Enimvero hac distinctione
 duplicis vivificationis semota, conse-
 quens est, peccatori, statim ac inspira-
 tur illi detestatio peccati, & propositum
 & inchoatio novæ vitæ, statim ac inci-
 pit vivificari sese ad gratiam sanctifican-
 tem preparando, inesse illam vivifica-
 tionem, quæ vere justificetur, & qua fa-
 ctus vivus palmes in Christo, manens
 in ipso, qui ait, *Ego sum vitis vera; ego*
sum vitis, vos palmites, qui manet in
me, & ego in eo, hic fert fructum mul-
tum, sit Dei filius, fructumque bono-
 rum operum, ac meritum gloriæ referat.
 Contra qui nondum justificatus
 est, & nondum est vivus palmes in Chri-
 sto, ita juxta sensum hujus propositio-
 nis præcisus erit, ita omni vivificatione
 destitutus, ita mortuus, ut per pœni-
 tentiam, & per vitæ novæ propositum
 & inchoationem nullatenus vivificari
 credatur. Quapropter in sensu Baji
 cujuscunque actus boni & quoad sub-
 stantiam, & quoad meritum vitæ æter-
 næ unum duntaxat principium admitti-
 tur, id est, *charitas*, quæ homo *justifi-*
catur, & qua fit *vivus palmes* in vitæ
 Christo: sublato autem hoc principio
 charitatis justificantis, & perfectæ vivi-
 ficantis, omnia opera quoad substan-
 tiam & intrinsecus mala erunt, quid-
 quid agit peccator, peccatum erit, &
 ipse peccator in omnibus suis actibus
 serviet dominanti cupiditati, nulla-
 que erit vera legis obedientia absque chari-
 tate, quæ diffunditur per Spiritum San-
 ctum inhabitantem. Hinc vero magis,
 magisque comprobatur, & frustra Ba-
 jum in sua *Apologia* conquestum fuisse,
 quod sibi per calumniam affictæ sint pro-
 positiones 35. & 40. de quibus diximus
 num. 4. cum sint doctrinæ ipsius Baji
 evidentissima confectaria; & bene sa-
 pienterque Auctores antecedenti para-
 grapho laudatos tradidisse, quod Bajus
 nullam gratiam agnoverit, tanquam
 principium bonorum operum, præter
 gratiam sanctificantem, & præter cha-
 rita-

Monstratio
 quinta ex
 propositio-
 ne 61. Baji.

Joan. 15. 1. 5.

Sine funda-
 mento con-
 queritur Ba-
 jus.

ritatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui *justificantur*. Itaque hoc præclarissimi Theologi docuerunt, & rectissime docuerunt: quod hoc docuerint, demon-

stratum est supra eorum testimoniis locupletissimis; quod vero rectissime hoc docuerint, adhibita Suarii regula, collatisque invicem pluribus Bajanis articulis, demonstratum est modo.

§. IV.

*Ostenditur etiam Auctores, qui scripserunt post Constitutionem Unigenitus, asserere articulum Baji XXXVIII. in sensu charitatis habitualis & gratiæ sanctificantis fuisse proscrip-
tum.*

S U M M A R I U M.

1. In propositiones Quesnellii inquisitio prima ex instructione Pastoralis.
2. Quæ instructio non est parvi momenti.
3. Inquisitio secunda. Item error Baji à Quesnellio renovatus.
4. 5. Inquisitio 3ia.

6. Inquisitio 4ta.
7. Inquisitio 5ta.
8. Inquisitio 6ta.
9. Querela Quesnellii refutatur.
10. Synopsis Jacobi Fontanæ in sensum propositionum Baji & Quesnellii.

Probationes
Auctorum
post Bullam
Unigenitus
scribentium
in articulum
38. Baji ac in-
quisitio pro-
positionum
Quesnellii ex
variis Aucto-
ritatibus.

Progredditur nunc! Dissertatio ad expendendum quo sensu damnatum articulum Baji trigessimum octavum censuerint Auctores illi, qui floruerunt post celeberrimam Constitutionem *Unigenitus*, qua Summus Pontifex Clemens felicitis recordationis Papa XI. confixit Quesnellianas propositiones, in quibus Bajani comprehenduntur errores. Anonymus *Bajanismi Redivivi* Auctor, ut præmonui §. 1. num. 6. scribit, eundem errorem, qui continetur in articulo illo Baji, renovatum fuisse à Quesnellio in damnata propositione 44. quæ est hujusmodi: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur. Amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*; additque Anonymus, quod eundem errorem sapiunt & præferunt proximæ propositiones Quesnellianæ, 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, & subsequentes aliæ usque ad octavam & quinquagesimam.* Vide *Bajanismum Redivivum* pag. 63. Aequum est igitur, ut mentem insignium Scriptorum circa has propositiones Quesnellii sedulo investigemus.

1.
Inquisitio
prima ex in-
structione
Pastoralis

Occurrit primo Instructio Pastoralis, cui anno 1714. Nonis Februarii subscribere quadraginta duo Episcopi in Urbe Parisiensi congregati, & quam postea se-

xaginta alii Antistites approbarunt, ita, ut non unius tantum, vel alterius Doctoris, sed totius Cleri Gallicani, aut saltem dignioris partis ejusdem Cleri doctrinam, Instructio illa dicenda sit continere. Præfert ipsa hunc titulum: *Instructio Pastoralis Approuvée par l'Assemblée de Messieurs les Cardinaux, Archevêques, & Evêques; & proposée à Messieurs les Prelats absens*; ac typis edita est eodem anno 1714. In hac itaque Institutione de propositionibus Quesnellii spectantibus ad charitatem, hæc traduntur: „L'Eglise instruite par l'Apôtre nous enseigne que les mouvemens de foi, de crainte, & d'espérance, par les quels Dieu prepare à la justification, ne sont point des pechez: que bien loin de rendre l'homme hypocrite & plus criminel, ils sont bons & utiles, (a) qu'ils sont des dons de Dieu & des mouvemens du Saint Esprit, qui excitent l'ame, qu'il n'y habite pas encore; & que les actions, qui sont faites par ces motifs, non seulement ne sont pas mauvaises, mais qu'elles sont des dispositions à la justification; c'est ce que le Concile de Trente a déclaré. „ Quesnellius itaque arbitrabatur, motus fidei, timoris, ac spei, quibus ad justificationem disponimur, esse intrinsecus peccata, ideoque nullum ante justificationem, & gratiam sanctificantem agnoscebat bonum opus, quod à noxia cupiditate non sit vitiatum; id quod Galliarum Antistites dilucide explanant. Sequitur enim Pastoralis Instructio: „Les propositions condamnées renferment une doctrine toute

*Instruct.
Pastor. pag.
40. & seqq.
ubi adno-
tant. in mar-
gine proposi-
tiones Ques-
nell. 44. 45.
46. 49. 50. 51.
52. 53. 54. 55.
56. 57. 58. &
59.
a Concil. Trid.
sess. 14. cap.
4. & can. 4.
5.*